



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 13. Papa Nepotes de Galliarum Rege questi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI  
A.C. 1556.

micis fuscitatos sopire deberet: insuper etiam die prima Januarii Senatum habebat, ubi Montorium Comitem Neapolem suum supremum totius Pontificii exercitus Ducem consuetis ritibus creabat, necnon in Umbria, & Marchia Anconitana sex peditum millia, ac trecentos Equites conduxerat, dato negotio, ut hæ copix mox ductore Urbina-tis Duce Romam contenderent: ceteras vero urbes, quas a Columnensibus obtinuerat, validis firmabat præfidiis: unde nihil deesse videbatur, quo minus primo vere, vel in Neapolis Regno, vel in Etruria bello initium facere posset, adjutus copiis Gallorum, qui jamjam Parmensem, & Mirandulanam ditio-nem occupaverant: verum eodem ferme temporis momento Papæ Nuntius Paulo IV. ex Gallia rescripsit, quod ibidem induciæ inter Cæsarem, & Henricum II. fuissent initæ.

§. XIII.

*Papæ Nepotes de Galliarum Rege  
questi.*

Itaque Papæ Nepotes, cum a Galliarum Rege hoc negotium haud consulto eorum Patruo agitatum fuisse ægerrime ferrent, mox datis ad Sommerfetum Ducem, qui in Legati munere Rucellejo in Franciæ aula suc-  
cesse-

cesserat, literis eundem rogabant, qua-  
 tenus hoc fœdus, si nondum esset fir-  
 matum, omnino dissiparet, aut saltem  
 illius, si jamjam subscriptum foret, exe-  
 cutioni pro viribus obsisteret. Insu-  
 per eidem dabant negotium, ut de hac  
 agendi ratione vehementer apud Re-  
 gem quereretur, eidemque exponeret,  
 quod Pontificis causam in pessimo lo-  
 co reposuisset, ac Caraffas inermes ho-  
 stibus suis in prædam reliquisset, si-  
 mulque Gallici nominis famam in Ita-  
 lia penitus perdidisset, eoquod Rex adeo  
 palam fidem suam datam violasset. Præ-  
 legebatur hæc epistola Regi, qui rubo-  
 re suffusus sententiam mutasset, nisi  
 ejus Senatores, qui nunquam fœdus  
 cum Papa initum ratum habebant, ipsum  
 in proposito nuper concepto firmassent,  
 eidemque præter commoda, quæ ex hi-  
 sce induciis hauriret, etiam calumnian-  
 tium probra, quibus inducias rescin-  
 dendo sese exponeret, ob oculos posuif-  
 sent. Attamen Caraffa primis hisce li-  
 teris nondum contentus, insuper die  
 quinta Martii aliam perscripsit episto-  
 lam, postulans, ut Galliarum Rex, si ser-  
 vare inducias constituisset, saltem in  
 Pontificis manus oppida, quæ in Etru-  
 ria tenebat, consignaret, cujus rei spem  
 Lotharingius Cardinalis fecerat; sic e-  
 nim fore putabat, ut Cæsariani, ac Cos-

Sæcul. XVI.

A.C. 1556.

A a 2

mas

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

mas Florentiæ Dux Gallorum metu soluti nihil contra Pontificem moverent, sed etiam Senas, aliaque loca, quæ in Senensium ditione hoc bello occupare, restituerent, ut Pontificem placatum habeant, cum in confesso esset, nec dubitarent Hispani, quin in generosi, ac constantis Pontificis potestate situm sit, regnorum in Italia possessiones, ad quem velit, arbitrio suo transferre, & in quamcunque partem propendeat, maximum momentum habere.

## §. XIV.

*Caraffæ Cardinalis consilium se tanquam Legatum in Franciam conferendi.*

*Pallav. l. 13.*  
*c. 16.*  
*Thuan. l. 17.*  
*§. 2.*

Cum omnia hæc Caraffæ Cardinalis molimina in irritum caderent, ipse in Franciam proficisci sub honorificæ legationis obtentu constituit: at Turnonius Cardinalis nullum non movebat lapidem, ut illum ab hoc proposito absterret, quocirca eidem exponebat, quod Pontificis, atque adeo Regis negotia præsentiam ipsius exigent. Porro Turnonius hoc prætexebat, cum tanquam vir prudens, qui foedus illud, & negotium omne ut regno nocivum semper ab initio detestatus fuerat, pro innato in patriam amore vereretur, ne,  
Caraffa